



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. IV. Equus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER IV.

DE IIS QUÆ PER EQUUM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD PETRUM VICTORIUM.

Uperes, Petre Victori, ut ex amicis nonnulli intellexi, qua ratione modoque hieroglyphica Leo-
nis, Elephanti, & id genus animalium plurimorum explicuisse me accepisti, qua fuerint Equi
quoque significati apud eosdem Ægyptios tibi describi. Verum scias, pauca ea esse, que super
Equo Sacerdotes illi tradiderint, quippe qui animal uti profanum assernabantur: neque enim
Sacerdoti licebat equo vebi. Sed enim Græci, Latiniq; neque non Hebræi; multa super eo scitu digni-
fima memoria prodiderunt, que hoc explicabimus Commentario. Præter enim id, quod obsequi tibi ju-
cundissimum existimabam, invitavit me ad hujusmodi lucubrationem animalis ipsius dignitas, vigor, &
nature ejus spectatissima quadam excellentia. Non enim ex eo genere est, quod parvi facere debeamus,
cum tot ex Equo humano generi commoditates obveniant, sive domestici, sive publicis sit usibus adhiben-
dus. Sed frustra hic Equum laudare aggredior, cum super eo tam multa, & tam præclara toto passim com-
mentario reperiantur, que qualianam sint, hinc jam, ut insituiamus, dicere incipiamus.

BELLUM. CAP. I.

Primum vero omnium Equi hieroglyphicum est, belli signum
esse, clarissimo Virgilii testimonio, dicentis,

*Ænsid. lib. 3**Bello armantur Equi, bellum hæc armenta minantur.*

Et Duellicam Equorum prolem Lucretius appellat. Idem hoc
intellexisse Ægyptios didicimus ex Plutarcho, quod & in Leone
tetigimus. Horum quippe post obitum apparuisse Osiridi, quem
multarum rerum usum edocuerit, præcipue quod animal bello
utilius esset sciscitanti, Equum ei negotio maxime commo-
dum, responderit. Cumque Osiris Leonem præstare arbitrare-
tur, respondisse Horum: Possè quidem eum auxilio esse verum
ubi semel fugam arripuisset, irrevocabilem abire: cum alioqui bellatori necesse esset nonnun-
quam cedere, nonnunquam ex inclinata jam acie rursus hostes aggredi, proque loco & tempore
Fortunæ sese imperiis accommodare, idcircoque Equum omnibus his officiis omnino magis offi-
ciosum esse. Unde Xenophon 3. de Græcorum reditu: *Una, ait, Equites re præstant, quod in fuga cer-
tius est illis subsidium.* Aristoteles in Ethicis, virtutem in Equo eam præcipue laudat, qua sit ad
currendum portandumque hominem idoneus, & ad invadendum expectandumque hominem
hostem minime formidolosus. Galenus de Partibus; *Prævalidum, ait, animal esse, & generosum, cum*

Georg. lib. 3; ἰσχυρόν dicit, μήτε ἄθρονον. Hinc illud apud Maronem,*Generosus pullus in arvis.*

PUGNACITAS. CAP. II.

Neque temere Vespas *ἰεργλυφικῶς* ex Equino cadavere significari tradiderunt Ægyptii: imo
non temere esse dixerunt, quod ex corrupto ejus cadavere vespæ progenerentur. Hoc enim
tantum

A tantum apud Horum super Equo reperias & pervulgatus aqua omnes fertur:

ἵπποι ἐπὶ σφοικῶν γένεσις, τὰυρεὶ δὲ μελισσῶν.
 Nam culices ab Equis, sed Apes ab origine Tauri.



Diligentes enim rerum naturalium observatores, ex Bovillo occipitis cerebro apes gigni tadidère, ex Asini cerebro crabones, uti ex Equo vespas, atque ex humano cadavere serpentem Non tamen hic simpliciter vespæ intelligendum, sed quod per vespam idemtidem soliti essent significare, per cujus hieroglyphicum pugnacitatem & infestum adversus hostes ingenium ostendebat: de qua inter infecta loco suo differuimus.

CELERITAS. CAP. III.

B Adhæc celeritatis indicium est, Equus quodque apud Lucretium, *Fortis Equi vis*, legitur, Marcellus *celeris* exponit, eoque spectare volunt Virgilianum illud,

En. lib. 11.

Quidnam egregium si femina forti Fidis equo?

ubi Aruns Camillam equi pernicitate fretam: non virtute sua strenuam, incusat. Multa vero invenias apud rerum scriptores super Equorum pernicitate: sed id ego tantum memorabo, quod Alanis à Probo Imperatore devictis, Equus in præda repertus est, qui, ut captivi attestabantur, centum ad diem passuum millia decurreret, perque octo vel decem dies vigore minime fracto perduraret. Sed enim eam in militaribus Equis fugacitatem Imperator ipse contempsit, repudiatumque fugitivo militi potius quam forti convenire indicavit, ἵππο Ἰβλῶ Nympham apud Hesiodum invenias, quod nomen ob velocitatem effictum autumant interpretes: vim quippe aquarum eam intelligentes, qua navigia cursu celerrimo rapiuntur. Quique Neptuno appinguntur Equi, pernicis ejusdem cursus indices habentur, qui maritima sit navigatione. Naves enim Equorum curruumque usum affatim suggerunt, unde & Equos, & curruum Neptuno videmus attributos: nam is apud Maronem,

En. lib. 1.

Ἐστὶν Ἐκκῶς, κορυφῆς, ὡς ὁρᾷ, ὡς ἰσχυρῶς, ὡς ἰσχυρῶς.

Jam & proverbium à Cicerone usurpatum est super celeritate, tum Equis, tum velis, ad Quint. Frat. Sic ego (ait) te sepe exitante cursu, corrigam tarditatem tuam tum Equis, tum velis. De omni vero conatu adhibito, in Officiis sic ait: *Cum his velis Equisque, decertandum est.* Astronomi undecimo Virginis gradu Equum admovent ad hominis velocitatem indicandum qui cum eo sit gradu lucem auspicatus. Appingebatur vero Neptuno Equus anteriore parte figura sua posteriore vero effigie piscis, qui caudam in spira replicaret, quod veteres sculpturæ passim, & plerique Gallieni numi palam faciunt, in quibus inscriptio est, NEPTUNO CONS. AUG. Nota præterea est fabula, in Deorum concilio pro imponendo Athenis nomine, percussa à Neptuno petra exiliisse serum Equum. Nam & interpres Pindari rem tangit hujusmodi. Passim vero apud veteres Neptunus Equestris dicitur. Ajunt insuper, primo illi Equo, quem Neptunus protulit. Scyphio nomen fuisse, adeo sibi concors in nugis toto Græcia semper fuit, ut nulla sit tam absurda fabula, quæ ali quo assertionis testimonio careat. Quodque fictum

Gallieni numi.

D à Poëtis est, Saturnum in Equum versum, quem tunc etiam pernicitate insignem canunt, uti Maro,

Georg. lib. 3.

—Pernix Saturnus, & altum

Pelion hinnitu fugiens implevit Equino:

quidam ex Astronomis ad astri velocitatem figmentum referunt, cum amplissima cæli spatia diurno motu velocissime transcurrat, si quanto distet intervallo, quamque magno circuiu supra planetas reliquos feratur, consideraverimus: quamvis altero motu, quem hi naturalè dicunt, tardissimus planetarum omnium videatur. Ab hujusmodi pernicitate Abacuntis Prophetæ dictum, *Quia ascendes super Equos tuos*, Theologi de Apostolis prædictum volunt, unde repentina salus esset omnibus piis proventura. Et unius sane celeritatis ergo Virgilianus Aeneas præmia proponit, *Equum insignem phaleris,*

Abac. c. 3.

En. lib. 5.

ei,

ei, qui pedum cursu primus metam attigerit. Et in numismatis, nunc Equus currens, nunc ipse Pegasus, alis adjectis cufus, summa rem alacritate gestam ostendit.

SOL. CAP. IV.

Gallieni
numisma
& Q. Titi.

Alas verò alatus Equus Soli etiam attribuitur. Nam in Gallieni numis alatus Equus est cum inscriptione, SOLI CONS. AUG. In numo verò Q. TITI in quo Pegasus, quasi non satis ex eo expressa esset celeritas, qua in obeundis Reipub. negotiis usus fuerat, barbato ejus capiti ex altero latere cuso addita ala, cujusmodi specie Mercurius in aliquot veterum monumentis conspicitur insignitus. Non desunt verò qui Pegasum in monetis etiam Corinthiorum fuisse tradant, quem Eubolus, Anchise, πὸν πᾶλλᾶδ' ἑλῶλον appellavit. Porrò Pindarus Bellerophontem eo inventum Pegaso, frænum aureum dono à Pallade per somnium accepisse commemorat, unde postea infranandorum Equorum usus ad posteros emanavit eoque, monumento voluerint Corinthii rei memoriam testatam esse. Maro autem noster fræna Lapitharum inventum tradit eo Georgicon loco,

Lib. 3.

*Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso, atq; Equidem docuere sub armis
Insulare solo, & gressus glomerare superbos.*

HUMANÆ VITÆ LUBRICITAS.

CAP. V.

Sunt & qui Centauros in hoc eodem accipiant significato, quodque illi pube tenus humana forma, reliquum Equina fingantur, vitæ nostræ terminum pernici cursu occupari significare putent: propterea quòd mira lapsi lubricitate incauti semper arripimur. Nullus enim tam senex, qui se annum adhuc non speret superaturum. Sedenim Centauro alibi erit locus suus.



FAMA. CAP. VI.

Papyrii Cur
sori & Ha-
driani nu-
mus.

Non sum verò nescius, authores esse, qui Pegasus, qualem quippe passim in Hadriani & L. Pap. Curforis, & aliorum quorundam numis aspiciamus, famæ potius quam celeritatis indicium esse contendant. Nascitur is ex Medusæ cæde: siquidem virtus cum terrorem amputaverit, famam generat. Terroris & admirationis hieroglyphicum esse Medusæ caput, ostendimus in Serpente, cum de Domitiani gestamine loqueremur. Fama autem ubi primum genita per hominum ora incipit volitare, Musarum excitat frontem in Parnasso: quippe quòd illustrium virorum præclara facinora, vatibus scribendi suggerunt argumentum. Quod vero in Papyrio à re ipsa etiam cognomento Curforis honestato, ex Pegaso alacritatem & festinantiam hominis significari dixeramus, Capræ insuper fugacis spoliis & fulmen & sagitta, quæ in eodem spectantur numo, ad nostrum faciunt intellectum.



PROFUGUS. CAP. VII.

Sed quoniam esse video qui Persea quoque Pegaso inventum putent, examinandus est apud Hesiodum locus de Scuto Herculis, ἰππότα πέρους à Poëta dictum, quo loco Commentatores ajunt, animadvertendum ἰππόταν profugum significare, eamque esse glosiographorum interpretationem. Avus enim Acrisius Persea domo expulit, quem minime moris est usquam Equidem inducere, sed talaribus à Mercurio acceptis præditum aera perfulcare, de quo sic Ovid, Metam. lib. 4.

*----- Pennis ligat ille resumptis
Parte ab utraque pedes, telosq; accingitur unco,
Et liquidum motu talaribus aera findit.*

Unde

A Unde etiam Catullo Pinnipes appellatur. Eodem modo apud Homerum invenies *Ἰππόταν* Nestorem, pro Profugo, ut vetustiores Grammatici interpretantur, eo *ἔβρωπιος* loco.

Τόιν ὃ κεί μετέπεις γέγηυσι Ἰππόταν Νέστωρ.
Hic inde Gerenius exul Nestor ait.

Talemque recitant fabulam: Herculem Pylo bellum intulisse, propterea quod Neleus eum à cæde Iphiti purgare recusasset. Tum etiam propter filiorum ejus insolentiam, qui cum duodecim essent, eo freti numero, præclara omnia sibi pollicebantur. Diu vero bellum protractum, neque quamdiu Periclymenus, unus ex ipsius Nelei filii, vixit, urbs unquam capi potuit: postea vero quam is mutatus in Apem Herculeano curru explorator insedit, summonente prodenteque Pallade extinctus est ab Hercule: capta itidem everfaque Pilo est, undecimque Nestoris fratres interempti. Sed enim Nestor prius emissus fuerat ad Gerenius, ubi educaretur, qui solus superstes in patriam inde restitutus est, & ab educationis loco Gerenius, ab effugio vero, quo salvatus est, *Ἰππόταν* nominatus.

Odyss. 7. vers. 68.

FRÆNATA FEROCITAS. CAP. VIII.

Vulgatissimum illud est argumentum, hominem feroci invictoque animo, imperio tamen & rationi obsequentem, hieroglyphicè per frænatum Equum significari. Hinc Panætius apud Cic. Africanum solitum ait dicere, *Ut Equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere soleant, ut his facilius uti possint: sic homines secundis rebus effrenatos sibiq; presidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere.* Animal nimirum ferox atque magnanimum, quod leges tamen subit, nec frænâ depulit ore, ut ait Horatius, de Equo qui hominis operam imploravit, seq; frænari sit passus. Et Maro:

*Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupes, & fræna jugo concordia ferre.*

Æneid. 1.3.

In hujusmodi sententiam est Scipionis dictum non incelebre. Quum Romani contra Antiochum *Plat. in 7.* jam in Asiam trajecissent, isque legatos demum de pace misisset ad Scipionem, respondit is: *Id prius pius vici-*

C factum oportuit, non postquam & frænâ & fessorem accepisset. Sed illud quoq; animadvertendum est, de Carthaginis portento, quod murorum fundamenta fodiens oblatum est, quippe, ut apud Maronem, *caput acris Equi*, hinc gentem fore bello egregiâ præmonstratum. Quod vero subjungit, *Facilem victu*, non de Bovillo capite, ut Servius, sed de ipso eodem Equino intelligendum: cujus ostenti ea sit interpretatio ut *facilem victu per secula genti*: facilem, quæ tandem vinceretur, exponamus:

hoc enim magis ad Virgilianam accidit sententiam, quamvis in Tauri commentario Servianum intellectum illustrare conati simus. Conjectores vero, ut eo redeam, eos qui se caput Equinum, vel Caninum, vel Asinum habere somniarunt, in servitutem vel id genus ærumnas dedendos esse suspicantur. Sunt enim tria hæc animalia servituti mirum in modum obnoxia. Addam & illud eorundem Onirocritarum interpretamentum, quo visum ajunt in somnis Equum qui se portet, polliceri, ut amica amantis imperio facile sit subjicienda, morigeraque in posterum futura. Nam de pullo indomito pro puella adhuc intacta, Anacreontis carmina paulo inferius loco suo recitabuntur. In Divinis literis, ubi Elifæus montem auxiliaribus Equitibus plenum per adaperos pueri oculos

Æneid. 1.1.

D conspexit, quosque vates Abacus Domini Equos, & Equitatus nominat, animas intelligit Adamantium, quæ frænâ disciplinæ sanctioris accipiunt, jugumque suavitatis, quæ ab ipso Domino proficiunt, portant, ejusq; spiritu regi patiuntur: *Beatasq;* illas appellat, *quæ dorsum curvaverunt suum*: ut dorso verbum Dei fessorem accipiant, cujus frænâ patiantur, & quoquo versum ille impulerit iter arripiant: ejusq; denique habenis moderati, non ex libidine sua, sed tanti fessoris arbitrio flectantur, cursum ineant, & consistant. Eucherius sane inveniri ait in Divinis literis, Equum pro viro sanctitate prædito poni, eoque spectare Abacantis illud alibi dictum, *Qui ascendis equos tuos.* Sane Græci

Attemidor. l. 1. cap. 39.

Abac. c. 3.

Palladi nomen ab Equo domito inditum tradunt, & uti supra diximus, apud Pindarum legas frænatum Corinthi ab ea inventum, & Pelopi dono datum, & in Ilii captura *Ἰνσταν* montis Equum Græci Palladi

En. lib. 1.

Palladi dedicarunt. Hoc vero significat ferocitatem omnem doctrina molliri atque cicurari, quod A
Epist. 2. ita luculenter Horatius expressit:

*Nemo adeo ferus est, ut non miscere possit,
Si modo culturae patientem commedet aurem.*

IMPERIUM. CAP. IX.

Suetonius in C. I. Caesare cap. 61. IN augurali vero disciplina per Equos Imperium significatum saepe fuisse comperimus, ut qui apud
C. Julium Caesarem natus est humanis prope pedibus, unguis scilicet in digitorum modum sub-
scissis. Et enim orbis terrarum imperium portendi, Aruspices respondere, apud quem Equus hujusmodi
esset editus. Eum itaque Caesar magna aluit cura, nec patientem fessoris alterius primus ascendit. Cu-
jus etiam instar pro aede Veneris genetricis dedicavit: quamvis prodigia reliqua ita despectui sem-
per habuerit, ut ab incepto nunquam ullo prodigiis quantumlibet adversis absterritus aut retar-
datus sit. Sed enim eadem animalis species, quae imperium illi praefagiverat, eadem (inquam) & mor-
tem praemonstravit. Siquidem Equorum greges, quos in trajectu Rubicone consecraverat, ac va-
gos sine custode dimiserat, paulo antequam occisus esset, comperit pertinacissime pabulo abstinere,
ubertimque flere. Eo porro affectu Equi plerique in dominos sunt, ut eos interemptos lugeant, in-
quit Plinius, lachrimasque interdum desiderio fundant. Unde non infcite de Pallante Virgilius.

Aen. lib. 11.

*Post bellator Equus positus insignibus Aethon
Il lachrymans, guttibus humectat grandibus ora.*

Ad hujus imitationem non minori forsitan affectu alterius Equi amorem in dominum Sillius Itali-
cus ita decantat:

<i>Agnovit sonipes, arreclusq; auribus acrem</i>	<i>Euolat, ac Domini consistit in ora jacens:</i>
<i>Hinnitum effundens sternit tellure Vagesum,</i>	<i>Inde inclinatus collum, summissus, & armos,</i>
<i>Quem tunc captivo portabat in agmina dorso:</i>	<i>De more inflexus praebat scandere terga</i>
<i>Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis</i>	<i>Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.</i>
<i>Smante cruore soli, & mutilata cadavera cede.</i>	

Suetonius in Nerone cap. 46.

Sed ut ad portenta revertamur, illud memoriae proditum est, quemadmodum Nero asturconem,
quo maxime delectabatur, posteriore corporis parte in simiae speciem abiisse, per quietem videre vi-
sus, ac tantum capite integro hinnitum edere canoros: ostento fuit quod illa Equi ferocitas in simiae
ludibrium arripuit, invadendi regni signum Equus. Nam ea qua natus est hora, Equus pullus in re-
gulas ascendit, atque ibi brevi temporis spatio commoratus, simul & decidit & expiravit. Quod qui-
dem huic in Villa Martis genito, & ad bellica negotia nato, futurae sublimitatis, quamvis brevi du-
ratione, augurium fuit.

A LABORIBUS QUIES. CAP. X.

Quid vero soluti pascentisque in Nervae numis Equi sibi velint, causa ibidem literae declarant in
hunc scilicet modum: VEHICULATIONE ITAL. REMISSA. quod nonnulli referunt ad argumen-
tum illud, quod in Bove ad praesepe tractavimus. Sed accipiendum potius de tributo, quod Italia
omnis in vehiculationes exolvebat, ut & Magistratum sarcinae, & exercituum, & alia hujusmodi
publica transportarentur, quod tributi genus Nervae uti onerosum nimis Italiae remiserit universae,
qua de sententia plura dicerem, nisi doctissimus plane vir Fab. Vigil. Spoletanus rem exactissima
pertractasset.

ITALIA. CAP. XI.

Sunt qui putent Equos in hoc numo Italiam significare, eoque adducuntur argumento, quod in
Sargenteo numo & aliquot aereis observatur caput Equi frantati cum inscriptione, ROMA. Ab
ejus occipitio sceptrum, in cuius summa parte caput itidem Equi videatur, ab altera parte Roma
ipsa galeata, uti mos est. Alii numi sunt cum Equinis capitibus ab utraque parte singulis cum inscri-
ptione, ROMA. Sedenim cum Equum ipsum multas in Latinorum & Graecorum numis ob-
serva-

A fervaverim, ne que Italiam, neque aliam quampiam provinciam, regionemve, aut civitatem significare contenderim: sed aut bellum, aut itinerationem, aut decursionem, ut in Nesonianis plerisque: aut velocitatem, ut in Papyrianis, & alia, prout locis suis explicantur.

MAURETANIA. CAP. XII.

Nisi qui (si videant in Hadriani numo Equum à pedite rectum cum inscriptione, MAURETANIA, ^{Hadriani numus.} Nita enim scriptum per E secunda syllaba) intelligere velint provinciam eam in dedicationem acceptam, vel quid hujusmodi. Sane aliquot ex hujusmodi numis una in parte caput habent Hadriani, ab altera Equum, quem mulier duobus armata jaculis ducit: quod nimirum indicat genus id bellandi, quo plurimum utitur ea provincia.

MAURI FEROCES. CAP. XIII.

Quin posterioribus etiam seculis militares quidam ordines, qui sub Equitum Magistro militabant, dimidiis rutili coloris Equos duos in alba parma, sese quodammodo lacescentes, orbe viridi, cujus luteus erat umbilicus, interposito, præferebant, iisq; MAURI FEROCES appellabantur. Quod verò aliqui ex numis Italiam per Equum significari crediderint, forte suspicati sunt ex eo numo qui Equum exultatem habet, flore quodam superne sito, ab cujus altero latere inscriptio est, ROMANOR.

EQ VICTORIA. CAP. XIV.

Cur verò potius non putemus numum hunc in rei gestæ monumentum esse cusum? quia bello Punico, quod cum Hannibale gestum est, ceperint aliquando Romani etiam Equis superiores esse, cum prius robur eorum omne in legionibus consisteret: flos enim ille superne additus principium atque spem bonæ frugis indicat. Sane Virgilius rem tantam haudquaquam reliquit indictam, cum de Marcelli laudibus ita cecinit:

*Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pænos.*

At in Cephæniorum etiam numis Equus signari solitus est, cujus rei mentio apud Plutarchum. ^{Cephæniarum numus.} Apud Smyræos Fortunæ simulacrum fuit à Bupalò quodam probo sane viro factum, in cujus capite pullus Equinus infidebat, & Amalthææ cornu manum implebat, de quo apud Pausaniam in Messeniæ.

SYRACUSANI. CAP. XV.

Vtebantur & Syracusani Equi nota. Nam Atheniensibus illis, qui apud Syracusas capti Niciæna clade pro servis venièrè sub hasta, frons Equi caractere inusta est. In aliquot eorum numis Equus & fessor habetur cum inscriptione, ΙΕΡΩΝΟΣ: quod nimirum eius in Equestri militia, sed præcipuam in certaminibus gloriam ostendit, quem ea de causa tot laudibus Pindarus Poëta immortalitati consecravit. Aliæ quoque Respub. atq; alii plerique Principes Equi signo usi sunt, ut nihil denique privatum videam, quod ad Italiam spectet.

TARENTINI. CAP. XVI.

Quinetiam in numo, cujus inscriptio ΤΑΡΑΣ, Eques etiam jaculator inspicitur, ob Equestrem scilicet militiam, quam egregie Tarentini sunt exercere soliti: unde apud Græcos, Tarentinos ordines invenias ex Equitibus hujusmodi constitutos, & ταρεντιζέων verbum, eo se militiæ genere exercere.

SAGITTARII SENIORES ORIENTALES.

CAP. XVII.

Equi verò duo dimidiati coloris lutei, in cæruleo clypeo, quem ruber circulus ambibat, averfi profuientes à centro, quod luteum in medio rubræ peltæ, pro umbilico appositum erat, ita ut

G

ab

ab ipsa pelta trames coloris ejusdem ad rubrum usque ambitum protenderetur, ejus ordinis erat insigne, qui SAGITTARII SENIORES ORIENTALES appellabantur. Militabant ii sub magistro militum Praefentiali nuncupato.

SECUNDI THEODOSIANI. CAP. XVIII.

Luteus etiam Equus erat in imo parmæ ferruginæ colorationis, cujus umbilicus albus rubro continebatur circulo, quem alter coloris lutei circuibat. SECUNDORUM THEODOSIANORUM hic erat clypeus, qui sub eodem militum magistro stipendia faciebant. Hi nimirum Theodosii principatu in militiam alleci.

CONSTANTIA. CAP. XIX.

ERat & alia legio, quæ rutilum Equum in cærulea parma gestabat, in medio viridis orbis constitutus, cui quadrupes toto inniti pectore videbatur. ea CONSTANTIA nuncupabatur, quæ sub magistro peditum merebat: Constantio quippe Principe instituta.

IMMODERATUS IMPETUS. CAP. XX.

Res ipsa adhortari videtur, ut & historiarum sacrarum mysterium, quantum ad Equum pertinet, revelem. Nam pro immoderato & rationis experte impetu Equum poni apud Legislatorem Moysen, ex eo manifestum est, quod non designari principem Equorum educatorem dicit, quod ita capiendum est, ex Philonis sententia, ut ineptum eum ad principatum existimemus, qui voluptatibus cupiditatibusque & nequitia deditus stare loco nesciat, & frenas ferocis spumantia mandat. Lex ipsa est Deut. c. 17. *Quique rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi Equos, nec reduci populum in Aegyptum: Equitatus numero sublevatus, praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini.* Nam qui talia mente concipit, effrango illi & feroci Equo similis est, de quo vulgatum adagium, *Secede Equinis à pedibus procul*, ab Equo, inquam illo, qui semper Aegyptum, hoc est, voluptatum & illecebrarum planitium appetit insultare: quocirca frenis catenisque compescendus est, nisi velimus in perniciem rapi, & nosmetipsos una cum fortunis dare praecipites. Nam, ut optime ait Euripides, *ἀχαλῖτων ζουδαίων, ἀνδρῶν τ' ἀφ' ἑσθῆνας, τέλει δὲ θυροῦσα*, *Infrans oris, ex legisque dementia finis infortunium.* Saepè autem in Divinis literis Equus aberrantem & vagum hominem indicat, qui sine ratione ulla feratur, ut, *Fallax Equus ad salutem, & Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus.* Callidum verò Antisthenis dicitur, cum Plato vehementer laudaret Equum in pompa quadam Equestri hinnitu crebro ferocique excelsos spiritus praeseferentem, is qui hominis jactantiam libenter incelebat, *At tu, inquit, videris bonus Equus evasurus.* At Themistocles, cum mutatos ejus mores ex procacissimo in maximè temperantem plerique admirarentur: *Annon, inquit ille, videris asperos & indomitos pullos in optimos Equos evadere?* Non imprudenter itaque Prudentius elationem animi describens ait:

Foris per effusas inflata Superbia turbas Infrani volubat Equo,
NEQUITIA IN TEMPERATIAM VERSA.

CAP. XXI.

Quod vero super Aegypti delitius dictum. D. Ambrosius ex Apostoli dictatis, eo tempore ait Pascha celebrari quo Israelitici Aegyptum reliquere, solennitatemque eam, animarum transitum interpretari, à vitis ad virtutem, à corporis affectibus ad animi constantiam atque sobrietatem, à malitia nequitiaque fermento, ad veritatem & stabilem sinceri propositi firmitatem: mollitiem quippe in Aegyptiis, & alia multa carpit Hadrianus, maximeque optare videtur, ut melius esset morata civitas, Alexandriam notans. Legitur in libris Sibyllinis, *MILES ROMANE AEGYPTUM CAVE.* Quod licet de Pompejo Magno dictum interpretati sint multi, sollicitique aliquando Romani fuerint ne Ptolomæum armis in regnum restituerint, hac religione deterriti: alia tamen, eaque longè verior ejus oraculi videtur interpretatio, præceptum scilicet de illis hoc velamento, ut quibus datum esset imperio populos regere, Aegyptum caverent, quippe delicias & mollitiem, eaque omnia quæ mox fortissimum id genus hominum ut primum lascivire coepit, turpiter adeo effeminarunt, ut pestum

*Virg. En.
lib. 3.*

Pl. 33. & 32.

*In Pscho-
machia.*

*Aegypti de-
litiæ.*

*Uz Cicero
lib. 1. Epi-
stolarum.*

A pessum penitus ierint Imperio in eos translato, quos ut omnium despiciatissimos expuebant, & omni contumeliarum genere in se ciebantur. Sed quanto erat ominusior Ægyptus Pop. Romano, successum tanto prosperiorem Ægyptiis ex Romanorum adventu in regionem eam, oracula pollicebantur. Apud Memphim enim in aurea columna literis Ægyptiis scriptum erat, tum demum Ægyptum liberam fore, cum in ea venissent Romani fasces, eorumque prætexta, quod apud Proclum Grammaticum se legisse testatur Pollio: nimirum qui virtutem & rerum disciplinam admittit, vitis liberatur. Sed enim Romani pace jam terra marique parta, molles Ægyptiorum delicias suscipere, illi, deliciis amoris, pristinam Romanorum virtutem industriamque sibi mox vendicavere. Sed alio loco de fafeibus dicendum erit. Quod verò facit ad rem, Adamantius ad dictum illud de Iosippo, *Et totius Ægypti principatū obtinet*, ita philosophatur: *Libidinem quippe calcavit, nequitiam evitavit, omnesque corporis voluptates edomuit atque fravit. Hoc enim est totum Ægypti principatū gerere.* Vide verò Chrysostomum oratione quam habuit in vigilia Epiphaniæ, de Ægypto multa in hanc sententiam differentem.

Nempe Romanos

B RATIO ET CUPIDITAS.

CAP. XXII.

EST tale aliquid apud Platonem in Phædro, qui rationem atque cupiditatem per dexterum & sinistrum bigarum Equos intelligendum proponit, improbi que ac impuri ora lupatis frangenda ad cruoris ulque illis præcipit:

*Donec humi sonipes tæmearia crura superbus Mox facili des lon manu pariter que sentur
Imprimat, & tellus clunibus idæa tremat: Obsequio parens manns ueraq; tuo.*

SUPERBIA. PERTINACIA. CESPITATIO. INSOLENTIA.

CAP. XXIII.

NAM & in Mosaico illo quadrupede vitia quatuor deprehendit Philo, quæ una cum sessore in mare projicienda deperdendaque sint. Elatum in primis pedem illum, quem Superbiam illi vocant, frequenter admodum cespitat, cernuusque canterii more in fossam lapsabundus corrui. Ex postica pes alter, malæ perseverantiæ subsequenter pertinaciam ostendit: alter, perperam factorum exultationem, quæ omnia effrænum & exultantem Platonis Equum mira similitudine describunt. Jocosè vero Tejus Anacreon, cum muliebrum fastum, arrogantemque animum incesset, puellam quandam Equino comparavit pullo, in quem nemo adhuc incendisset, atque ita assultim nullo cohibita frano temere vagaretur, cuius sententiæ versus hi superfuere:

Equi Mosaici vitia quatuor, ex Philone.

Πῶλε θεηκίη τέ δή με	Στρέφοιμί' ἀμφι τέματα δόμου.
λοχόν ὀμμασι βλέπωσα	Νυν ἢ λειμῶνάς τε βόσκειαι,
νηλέως φάγεις; δούεις ἢ	κῆφά τε σκιστῶσαι παίζεις.
μηδὲν εἰδέναι σφόν. ἰδί	Δεξιόν γδ ἰπποπέδην
τοῖ καλῶς μὲν, ἀν τον ἢ χαλινόν	οὐχ εἴχεις ἐπιμῶσθην.
ἐμβάλλοιμι ἠΐας ἔχων.	

Quos quidem utcumque potui, candore haudquaquam pari, Latinos feci:

Pulle Treicia ecquid, o me	Meta in ambitum, atq; finem.
Torue luminibus petitum	At tu, amana prata pascis,
Impit fugis? videris	Molle sed lascivienti,
Nil quidem sapere: aperita	Non erit magister usquam
Pulchre eris tibi, si lupatos	Sessor, insultare qui te
Illigavero, moxque habenas	In modum probe instruat.
Sumpsero, atque circumvertero	

Ad hoc facit lepidissima Ode illa Horatiana de indomita Vitula:

*Nondum subacta ferro jugum valet Equare, nec Tauri ruentis
Cervice, nondum munia comparis In vomerem tolerare pondus.*

Carm. lib. 22. od. 5.

Circa virentes est animus tua Ludere cum vitulis salite
Campos iuventa, uunc fluvii gravem Pragesientia.

Solantis a sum, nunc in udo

Et altera, ubi haec sunt super Equa :

Qua velus latis Equa trima campis

Nuptiarum expertis, & adhuc proterus

Ludit exultim metuitq; tangi

Cruda marito.

Quod vero Anacreon mulierem Equini pulli cognomine vocitarit, facit idem Nicander, metapho-
ram eandem scite prosecutus : ubi de iis agit, quae contra venenum utilia sunt, puellare quippe
lac adhiberi commodum. Is enim Lac pulli, pro Lac puellare, Anacreontio vocabulo posuit, eo
verfu :

Θηλυτῆρος πάλοιο χέας ὅπῃν ἀλλοτε νύμφαις.

quod castigatus in manuscriptis codicibus νύμφης legitur. Foeminei quippe pulli lac. & si fieri pos-
sit virginis, viridissimo scilicet ætatis flore vigentis, balsamo (ut vulgata obiter corrigantur exem-
plaria, in quibus βλαστούμοιο scriptum est) instillandum monuit. Hic interpretes non de Equini pul-
li lacte dictum volunt, sed de muliebri : quod Erasistrati autoritate confirmant, dicentis ἐν τῷ πᾶσι
θανασίμων, utile esse lac muliebri.

MERETRICIA PROCACITAS. CAP. XXIV.

Diomedis vero filia (illius inquam Thracii Regis infanissimi) libidinis furore famosissima, Equis,
quae adventantes devorarent, comparantur a Poëtis. Unde ortum proverbium tradunt autho-
res Graeci, διεμήδεις ἀνάγκη. Atque ita interpres Aristophanis ἐκκλησιαζέσασιν interpretatur,
quamquam Eustathius hospites a patre solitos interim, & Equis in pabulum apponi tradit, tabulam
scilicet fecutus, quam a Poëtis fictam uno omnium consensu repererat. Quo vero haec eo accipi in-
tellectu debere, quam ex clarissimis authoribus excerptissimus, unicuique magis constet, a peritis ufur-
patum invenias ἰσχυροῦς appellari hominem, qui sit libidini Venereisq; negotiis intemperanter de-
ditus : quod nomen ab Equi natura deductum, ignorat nemo. Adde quod ἰσχυροῦς ad extremam
dicimus contumeliam, cum supremam cuiuspiam nequitiam, & immoderatam lasciviam exprobra-
mus. In Divinis quoque literis dictum est in hanc sententiam, infanientes quosdam factos in foemi-
nas, quod unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat. Equinas vates ille dedit homini vo-
cem, ut Equinam in eo petulantiam argueret. Non enim est omnis homo, homo, diceret Adaman-
tius, sed ea quis nequitia praeditus, homo equus est : ut homo in honore positus, nulla tamen pra-
editus sapientia, homo-jumentum est : Jumentis enim insipientibus is perquam similis habetur : Et
generatio Viperatum, de qua Dominus, homo-vipera appellari potest. Neque aliud quippiam hiero-
glyphice per duplicem formam Centauri intelligi vult Maximus Tyrius, quam voluptatis vincu-
lum. Quotiescumque enim accidit, ut ferinae partes tyrannidem in nobis occupent, ardorque cupi-
ditatis nobilitatem animi corripiat, opprimat, servitioque addicat suo, propter turpitudinum obsæ-
quia homo in belluam vertitur. Rîdicule verò faceteque admodum Aristophanes filium Xenop-
hanta, rusticorum morum hominem & furibundum in Nebulis, sub Centauri specie, repræsentari
dicit. Ipsumq; Chironis nomen ex ea significatione, quod & deteriorem significat, joco ansam dedit,
cum Centauros duos inter se pugnantem in tabula pessime pictos Diogenes conspexisset : interroga-
vit enim, uter eorum Chiron esset, visus de nomine querere, cum sensu, uter pejor esset intelligeret.
Et quoniam in Divinis literis, qui turpibus & immundis officiis detinentur, jumenta dicta sunt, pe-
coraque prona & ventri obedientia, fornicatores. Hierosolymitanus Hefychius Admissarios eos e-
quos vocat, hieroglyphico admodum proprio. Idem Psalm. 3. Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quod
ita exponunt interpretes, Nolite amore mulierum furere, sicut infrans Equi. Notum enim est, eos suam
ad voluptates intemperantiam hinnitu subinde prodere, utpote qui omnino quid bonum, quid
malum, quid honestum, quid turpe sit prorsus ignorant. Sedenim meretriciam hanc petulantiam
a tam multis per Equinae imaginis hieroglyphicum indicatam, nemo Virgilio melius & plenius ex-
pressit, ubi Georg. lib. 3. ita canit :

Voluptus-
forum hiero-
glyphica.

Homo si-
pera.

Scili-

A Scilicet ante omnes furor est insignis Equarum,
 Et mentem Venus ipsa dedit: quo tempore Glauci
 Potniades malis membra absumpsere quadrigae:
 Illas ducit Amor trans Gargara, transq; sonantem
 Afcanium, superant montes, & flumina tranant:
 Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis,
 Vere magis, quia vere redit calor ossibus, ille
 Ore omnes versa in Zephyrum stant rupibus altis,
 Exceptantq; leves auras, & sepe sine ullis

Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu!
 Saxa per & scopulos, & depressas convales.
 Diffugiunt, non Eure tuos, non Solis ad ortus:
 In Boream Corumque, aut unde nigerrimus Auster
 Nasctur, & pluvio contristat sidere cælum.
 Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
 Pastores, lentum distillat ab inguine virus:
 Hippomanes, quod sepe mala legere noverce,
 Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba.

Ad hoc P^{ri}.
 lib. 4. c. 11.
 & lib. 8. c.
 41.

Sed neque minor est Equorum furor, qui zelotypia etiam ita laborant, ut rivales acerrime castigent. Equi zeloty-
 Vifum enim, ajunt, in Syria, ubi Sylvestrium Equarum armenta vulgo pascuntur, præire ducem, qui si-
 junior aliquis libidinis causa Equam inscenderit eam initurus, ita indignetur, ut eum nulla interjecta
 mora persequatur, donec comprehensum verendis mordicus privet. In hoc autem animalium ge-
 nere foemina maribus continentiores sunt. Absyrus enim ait Equam, ubi se concepisse novit, ma-
 rem ulterius non admittere. Neq; vero hoc loco prætereundum, quod & ad Hippomanis vim, & im-
 modicam Equorum impotentiam & subitam in Venerem concitationem pertinet, venenum illud,
 quod sepe malæ, uti dicebamus, legere novercæ, à furore, in quem agit Equos, appellatum, tanti esse
 roboris & efficaciam, ut cum Phormis quidam Mænalium Equos duos à Dionysio Argivo fabricatos
 in Olympia dicasset, abdito in eorum altero, ut Elei arbitrabantur, eo viru, ut autem alii, in liqua-
 tum metallum immixto, confiterit allectos ita esse Equos ad initum sui, ut non nisi flagellis a-
 moveri potuerint. Historiam ponit Pausanias. Varia autem est antiquorum super Hippomane viru
 sententia. Nam Theocritus Hesiodum secutus, plantam esse videtur existimasse, qui *Φαρμακον*
της dicat:

Ἰππομανες Φυτὸν ἔστι παρ' ἀγροῦ. Τῷ δὲ τῆς κῆρας
 καὶ πῶλοι μαίονται ἀν' ὄρεας καὶ ἴσθμους.

Equi zeloty-
 dia labo-
 rant.

De Hippo-
 mane plene
 Arist. lib. 6.
 c. 11 de nat.
 animal.
 De Hippo-
 mane varia
 opiniones.

C Idque periti, diligentesq; agnoscunt viri. Ali Theocritus pertinaciter adversantur, neque plantam
 esse Hippomanes, neq; tale aliquid in Arcadia nasci asseverantes: idq; unum verissimum autumat,
 quod de caruncula, fici instar, in pulli fronte recens editi inharente traditum est à Theophrasto. A-
 gnoscit tamen & Cratevas plantam, eamque fructum habere fici sylvestris instar, folium vero fuscū
 docet, quemadmodum papaver: quin & spinosum esse, idq; veneficiis amato, iis immixtum mirifice
 pollere: hinc nonnulli *Φυτὸν* illud Theocritianum pro *Φύμα*, hoc est, tuberculum, fronti quippe hu-
 jusmodi pulli adnatum, interpretantur. Nam & Archilochus *Φυτὸν*, pro *Φύμα*, posuit, atq; ita facile
 de caruncula posse intelligi. Sed enim quod Theocritus ait, id apud Arcadas inveniri, nimirum ad
 plantam referri debet: non enim dicendum, pullos in Arcadia tantum editos, Hippomanes in fronte
 gestare, quod omnibus fere accidit ubicunq; locorum genitis. De plantis vero verissimum est, alias
 alio loco nasci, vel pollere magis hoc quam illo loco provenientes: sed ambiguitas hæc omnis ex lo-
 cutionis hujus, quæ est Hippomanes, æquivoco orta est, cum tria sint vocis hujus significata: unum
 virus illud, quod Equa in libidinem concitata emittere soleat è natura, de quo Maro:

Lentum ab inguine virus.

Georg. lib. 3.

D Idque tantus author, in re seria vero dici nomine Hippomanes autumat. Dixerat & Tibullus:

Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,

Hippomanes cupida stillat ab inguine Equæ.

Manifestum enim est ex horum descriptione, Hippomanes hic neq; pro planta, neque pro caruncula
 poni. In Arcadia autem esse plantam, etiam furoribus amatoris damnatam, cur inficiari possit quispiã,
 non video, antiquis tot authoribus rem ipsam agnoscantibus. Inveniri demum carunculam, instar
 carinæ, in fronte pulli applicitam, quam mater nisi mordicus deceperit devoraveritq; ab amore cu-
 raq; educandi filii abalienetur, Theophrasto, Plinio, & aliis id tradentibus, de qua re idem Maro,

Quaritur & nascentis Equi de fronte revulsus
 Et matri præreptus amor.

Æneid. lib. 6.

cau-

causam nullam video cur quispiam advesetur. Neque audiendi sunt, qui nihil aliud Hippomanes apud Maronem & Theocritum, addam & Tibullum, significare contendunt, scholiis in Dioscoridem, nisi furorem grandem (ut eorum verbis utar) & ubique adjectivi nominis modo poni, cum jam vocem eam trium esse rerum, quæ quidem & cerni, & manibus atrectari possunt, vocabulum substantivumque; verum indicaverimus. Neque tamen negamus, ἵππος locutionem plerisque nominibus applicatam, magnitudinem proceritatemque significare, ut ἵππος λίων, ἵππος μέγ. & multa huiusmodi, quæ superfluum est enumerare: sed hæc non sunt tanti, ut negare possint Hippomanes veram esse in Arcadia plantam, cuius figuram, neque non vim amatoriis veneficiis peculiarem, Crateyas apud Theocritum descripsit: neque carunculam auferant, quæ sit omnibus manifesta, neque destillationem amoveant, quæ Tibulli, Virgillii, Probi, Aristotelis denique ipsius autoritate continetur: In eandem enim furoris efficaciam conveniunt hæc tria, virus illud, planta Arcadica, & scilicet ille tuber, à maleficis propinata. Hæc forte nos morosius persecuti sumus, quam suscepti operis ratio postulasset: sed gravissimo viro, ætate nostra præstanti, qui tria hæc de rerum natura tollere conatur, respondendum fuit, si Veneti Poetæ nostri, si Romani, si Siculi dignitatem, in suo cuiusque genere summorum, tueri concedatur.

PROFANUS. CAP. XXV.

Sane quidem Ægyptii sacerdotes animal hoc alioqui tam generosum, tam utile, tam domesticum, repudiare, ac per hieroglyphicū ejus profanū intelligi decrevere: cuius rei causam eam fuisse suspicio, quæ majores etiam nostros in Italia ab eo abstinere tam religiose iusserit, ut à sacrorū flamine minime tangeretur, propterea quod damnatum inter venena fel habere proditum est. Alii rem simplicius interpretantes, dicunt inde factum, ne si longius digrederentur, fraus interdum ex negligentia feret factis. Ea enim de causa sacerdotum etiam nostrorum familiis data otia, ne profanis occupationibus, aut curis distraherentur, sed in precibus tantum Deo alligandis occupati essent, & laudes illi septies in die dicerent. Perseveravit autem in nostra usque tempora, ut primores Antistites Equo per urbem vehi, solennibus præsertim diebus, contra morem & decorum haberetur: præterquam uno maxime omnium festo die, quo novus Pontifex Maximus ad Lateranum deducitur: tunc enim in albis Equis omnes Præfules convehi moris est.

AUTHORITAS. CAP. XXXVI.

Plutarchus
in vita
Fabii Max.

Cumque apud Romanos veteres dictatoria dignitas admodum sacrosancta esset, vetusta quadam lege, nefas Dictatori erat equitare. Causas alias atque alias memorat Plutarchus in vita Fabii: sive quod majores vires pedestribus inesse copiis arbitrarentur, proptereaque oportere Imperatorem in phalange permanere, neque locum deferere: sive quod ejus principatus autoritas & magna esset, & quodammodo tyrannica in reliquarū omnium rerum administratione, voverint tamen in hoc Dictatorem inferiorem populo videri: Fabio tamen Maximo Dictatori designato, post cædem ad Thrasymenum acceptam, primum Equus concessus in tanto rerum discrimine, quo principatus magnitudo, ac moles ostenderetur, majorisque apud omnes autoritatis haberetur. Est enim Equus animal omnino superbum, & equitare magnificum habetur. Unde Aristippus apud Horatium, cum Diogenis vilitatem argueret, splendidius multo esse dicit, Equus ut me portat, alar Rex. Id vero Diogenes ac plerique alii Philosopho minus dignum arbitrabantur. Quare Plato cum in Equum aliquando conscendisset, statim desiliit ad terram, se vereri dicens, μή ἵππῳ τὸ Φίσι λαφύειν, ne Equino quoque fastu contaminaretur.

FABII CONTATORIS VIRUTES. CAP. XXVII.

Sed ut ad imagines nostras revertamur, in lapillo Onyce argumentum multiplex vidi artificiosè admodum sculptum. Equino enim capite est, humana facie in pectus barbata gruinis pedibus, cauda pulli gallinacei, literæ sunt, FAB. Ex quo quidem figmento virtutes eas facile conjectas, quibus Fabius Contator insignis fuit. Nam principatum in bello, ex Equino capite: prudentiam, ex humano pectore barbato: providentiam & contationem, atque etiam speculationem, ex pedibus gruinis.

A gruinis: victoriam, ex pulli gallinacei cauda interpretamur: quorum omnium causæ in suis quæque Commentariis sunt explicatæ.

ANIMI DESPONSIO. CAP. XXVIII.

NEque forte ingratum fuerit hieroglyphicum, quo desperatio, aut rei, quam quispiam aggressus fuerit, inauspicatus ingressus significetur, ubi quis Equum cespitantem, aut prioribus prolapsum pedibus appingeret, cum ipsa præsertim res, & proverbio, & auguriis veterum confirmetur. Nam quod ad proverbium attinet, quod fertur: *Rideo*, inquit Galba, *canteri*, Sifinnius Capito ita interpretatur, qui principio rei alicujus inchoatæ deficiunt animo. Nam cum Sulpitius Galba in provinciam exiens, ad portam ipsam canterium suum animadvertisset cecidisse: *Rideo*, inquit, *canteri te jam lapsum esse, cum tum longum iter iturus, vix id sis ingressus*. Ex ostentis vero unum sufficiat commemorasse, quod Flaminio Consuli feroci viro Aretii fertur obtigisse; cum is indigne ferens per mediam jam Italiam vagari Pœnum, atque obsistente nullo cædibus & incendiis omnia vastantem, ad ipsa Romana mœnia oppugnanda proficisci, signa ocyus convelli iussisset, cum primum in Equum insiliit, Equus repente corruit, Consulemque lapsum super caput effudit; inauspicati nimirum incepti signum, quo paulo post ipse cum exercitu concidit, fœdissima ad Thrasymenum clade superatus.

DIFFICULTAS. CAP. XXIX.

NEque indecenter inter picturas hujusmodi refertur Equus in fossam prolapsus, aut in voraginem aliquam demersus, ubi luti tenacitate pertinacissime detineatur, neque sese valeat expedire: si negotii alicujus difficultatem, aut incommodum exprimere voluerimus; quippe quod plurimum ita est canteriorum natura, quos oneribus comportandis addicimus: ut si aliquam in voraginem deciderint, tam ob onus, quo gravantur, quam ob lividæ paludis cœnum, in quo recumbunt, supra modum implicentur, unde ægre attolli queant. Hinc illud apud Livium à Jubellio Taurea Campano objectum, *Minime sis canterius in fossa*, cum longo certamine cum Claudio Afellio Romano delassatus se subducere meditaretur, cuius rei non apparente ratione, ad dolos conversus hosti fvasit, ut Equo dimisso in cavam viam descenderet, ubi secum pedes congressurus esset. Quod cum Romanis intrepide, nulla interposita cunctatione fecisset, Taurea ea jactato dictorio, admisso statim Equo profugit: quasi dicere voluerit, nolle se eo demittere, unde difficillima futura esset, emerfio.

CERES. CAP. XXX.

SEd ut nihil quod ad Equi imaginem faciat, quantum industria consequi possumus, omittamus, fuisse legimus apud Phigalentes simulacrum Cereris in antro consecratum, habitu sedentis in petra, Equinis capite comaque, cætera muliebri simile: adnexis Draconum & ferarum plurium imaginibus, quæ circa caput illudebant, palla nigra ad talos demissa, in cujus manu una Delphinus, in altera Columba sustineretur. Sed enim quamvis hujusmodi simulacrum Cereris nonnulli fuisse dicant, ego tamen Veneris potius crediderim, nisi dicamus pabulum & opulentiam, quæ per Cererem significatur, incitamentum esse ad illecebras & petulentiam. Equinum enim caput non esse ab lascivia alienum, ex iis, quæ paulo ante diximus, manifestum est. Draconum spiras, amatorios nodos, voluptariasque implicationes significare super Serpente indicat commentarium. Delphinum amoris simulacrum esse tam ex historia, quam ex tot Veneris signis, quibus id genus, piscis admoveatur, alibi comprobavimus. Columbam denique referre Venerem, suo capite disputatum est. Acquirendum tamen Pausania, Cererem eam esse dicenti. Sed enim, ut in sue differuimus, eandem esse Cererem & Venerem Ptolemæi Assertoris tempore declaratum est. Cæterum potest hujusmodi picturæ species ipsius etiam rerum naturæ hieroglyphicum esse: Equinum quippe caput ob insitam animali pernicitatem, innuere velocissimos cœlestium orbium motus, Columbam tractus aerios, ut suo loco dictum est, Mare Delphinum, ut in numis passim, Anguium involucra, sinuosos omnium toto terrarum orbe lapsus, de quibus apud Platonem Socrates, ut in Serpente testatum

statum fecimus. Feræ reliquæ vitas animantium omnes ostendere videntur. Saxum, terra firmam & stabilem sedem, sua se soliditate continentem signat. Antrum deniq; ac nigra palla, ea plurima, quæ de rerum causis & originibus minus adhuc comperta delitescunt, ut in simulacris Iſidis caput pedesque ex nigro lapide: de qua re dictum est alibi.

QUIBUS DIIS EQUI SACRI. CAP. XXXI.

Equus Martii sacer Romanis.

Quod vero Marti primum omnium sacer Equus esset, ex eo constat, quod Decembris Idibus illi Equus, qui à dextra victor fuisset, immolabatur. Dextera enim masculina ceneri diximus in Tauro, & mares animos Marti passim videmus attributus, de quo latius in pudendis virilis interpretatione, neque non in Scarabeo. Sacrificii vero hujus causam nonnulli putant, ut Martem hostia, quæ illi plurimum esset accepta conciliarent. Nam & Pausanias ait, Tyndarum raptæ filia injurias ulturum, cum Menelao marito procis aliis in locum unum convocatis, immolato prius Equo, ut bellum adversus Trojanos susciperent, juramento adegisse. Neque defunt, qui sacrum, quod Decembris Idibus fieri solitum dicebamus, Octobri mense factum autem: eaq; de causa Equum eum Octobrem itidem appellatum, fuisseque non levem Romæ de capite ejus contentionem inter Suburrantenes & Sacravieses, ut id scilicet in Regiæ pariete, illi ad Turrim Maniliam affigerent. Utcunque vero, Equus panibus caput redimitum habens, Octobribus Idibus pro frugibus in campo Martio Maçtabatur. Ideo vero Equum potius quam Bovem immolabant, quia Equus animal bello dicatum, ad frugum potius perniciem, quam auctum, spectare videbatur: Bos vero ad frugum proventem & commoditatem natus. Quin etiam authores sunt, Equos à Romanis non ideo maçtari solitos, ut Martem sibi conciliarent, sed ut supplicium ex eo summerent, per quem constat Trojam fuisse captam, unde se oriundos illi profitebantur. Sed enim perfrigida & jejuna admodum calumnia hæc mihi videtur in Romanum nomen: ut populus tot virtutibus insignis, immeritum animal quotannis ita multarent, quique gravissimas injurias hostibus sepe condonare soliti essent, uni huic immortalis in Equos odio tam pertinaciter inhaerent. Lacedæmonii vero, ut Festus afferit, Equum ventis in monte Taygeto soliti sunt immolare, eundemq; ibidem adolere, ut cinis ventorum flatu per fines quam latissime dispergeretur. Cæterum Pausanias Soli Equum in eo monte tradidit à Lacedæmoniiis maçtari solitum Perfarum more. Hinc Curioni Xenophon Equum donat, quem Soli sacrificet, cum eam apud Perfas esse Solis vicimam non ignoraret. Idem author est, apud Sauromatas Equos ad sacra, & ad cibos ali: unde apud Epigrammaticum nostrum;

Veni ab epero Sarmata passus Equo.

Nempe Martialem lib. i. Epigram.

Sarmatas enim Romani dicunt, quos Græci Sauromatas, ut Plinius libro quarto. Apud Stephanum diversi sunt populi, quamvis utraque gens Scythica. Apud Salentinos Jovi dicatus Equus, vivus in ignem conjiciebatur, perinde ac Rhodii quotannis quadrigas Soli consecratis in mare jaciebant: quod vulgatum est eum tali vehiculo circumvehi mundum. Uti etiam in Illyrico, ea de causa, quod Tridentis icu terra Equum excierit, quatuor Equos nono quoque anno marinis fluctibus habendos jaciebant. Apud Philostratum in Heroicis, legas pullum Equinum coloris albi, & fræni festorisque adhuc ignarum, Soli sacrificandum pro victoria assequenda, idque suafu Palamedis perterritis aliquando Græcis, quod Solis deliquium, dum circumfident Trojam, inspexissent. Has quasdam veluti phaleras Equo libuit addere, quas sumptu nostro comparatas si quis approbaret, iis uteretur: qui vero ornatum alium expetiverit, vel ex aliis quærat, vel impensa sibi comparet sua.